


05

A

1570





TRIN. UNO DUCE,

Præside

Amplissimo, Clarissimo, & Excellentissimo Viro,

DN. D. DANIELE SENNERTO,

Phil. & Medico celeberrimo, Fac. Med. P. P. Seniore, p. t. Decano,
& Ser. Elect. Sax. Archiatro, Dn. Præceptore & Patro-
no meo optumo maxumo,

THESES HASCE

De

Causa continente

morborum,

*Candidis Philiatris ingenii lance
trutinandas,*

IN ACADEMIÆ WITTENBERGENSIS
theatro Apollinis publico,

Præsente

GEORGIUS Marggrafe /

LIEBSTADIO-MISNICUS.

Idibus Marti,

A. C. ∞ 10 CXXXIV.

Typis heredum GEORGII MULLERI.



05 A 1570



Σὺν Θεῷ.

Prologus.

Nihil sine causa fieri, universæ Philo-
sophorum ac Medicorum turbæ notissi-
mum est. Quali autem caliginis peplo
causarum facies sit obvoluta, sciunt,
quibus

de meliore luto finxit præcordia Titan;

ut non Davi sed Oedipi ingenio ad earum cognitio-
nem adipiscendam opus sit, & verissimè *unicus ille*
Poëtica Sirenophænix Virgilius (ut *magnus Scaliger* maxi-
mo elogio ipsum appellat) dixerit,

felix qui potuit rerum cognoscere causas.

Ut alios præteream, insigni usu causarum notio ma-
ctat Naturæ - Cōsultum; ei γὰρ ἡς εἶδειν τὴν αἰτίαν τῆς νοσή-
ματ^{ος}, οἷός τ' αὖ εἶναι ποιοῦσθαι τὰ συμπεποντα τῶν ἐν τῷ
σώματι, ἐκ τῶν ἐναντίων ἴσασθαι τὰ νοσήματα,
qui enim causam morbi probè cognoverit, utiq; ex his quæ
in corpore insunt, adepta per contraria morborum cognitio-
ne, facile poterit quæ conferunt offere, inquit divinus
Hippocrates, *lib. de flatibus.* Cujus verbis motus ego,
doctrinam de *causa morborum continente*, cujus cog-
nitio in morbis quibusdam auferendis plurimum prod-
est, thesibus includere, easq; Philiatris æqua mentis
lance pensitandas publicè exponere volui. Annuat
huic conamini omnium rerum CAUSSA PRIMA.

T H E S I S I.

Statuuntur à Philosophis optimo jure quatuor caussarum genera, *forma, materia, finis, & efficiens*. De prioribus, Medicis, dum de caussis morborum agunt, nullus ferè sermo, sed tantùm de posteriori, nimirum *efficiente*.

II.

Imò dum caussæ vocabulum simpliciter usurpant Medici, *efficientem* ferè tantùm intelligunt, cum Galeno, *1. de loc. affect. cap. 2.* & Hippocrate, *lib. de priscamed.*

III.

Abeat ergo Argenterius, *afferens, lib. de caus. morbor. cap. 2.* caussas alias quinque vel sex supra quatuor enumeratas. Ad quid enim, quæso, conducit tanta multiplicatio entium? continentur certè reliquæ caussæ ab eo productæ omnes in quatuor à nobis determinatis.

IV.

Verùm de hisce generalibus caussarum distinctionibus, hæc hoc loco sufficient. Nos progredimur ad divisionem caussarum morbificarum.

V.

Optimè autem earum considerationem institui posse putamus, cum Excellentiss. Dn. Sennerto, Patrono nostro, & Præsidente eximio, *lib. 2. Institut. Med. part. 2. cap. 1.* duobus modis: Vel *respectu ad effectum seu morbum*; vel *absolutè* seu prout res sunt, quæ caussarum morbificarum vicem gerere possunt.

VI.

Priore modo distinguimus in *caussas proximas seu immediatas*, & in *remotas seu mediatas*. Ex quia caussarum quæ proximam antecedunt, quædam est varietas, & aliæ sunt propiores, aliæ remotiores: alias constituimus *αεγναταεκτηκας, primitivas*: alias *αεγνηγμυρας, antecedentes*: alias *συνεκτηκας, conjunctas*.

VII.

Posteriore, alias constituimus *internas*, alias *externas*. Et illæ etiam sunt variæ.

VIII.

Singulas hîc definire & describere non sumus obstricti. Tan-
tùm

tum de *Conjuncta* seu *Continente* verba in hac scena facere decrevimus. Hæc est illa Helena, pro cuius amore & benivolentia captanda in hoc descendimus theatrum, quamq; ambire cupimus.

IX.

Demonstrabimus autem eam reverà in morbis, licet non omnibus, dari; refutabimus eos, qui pro commento habent, & idem esse credunt.

*quod centum geminus Briareus, ac bellua Lerna
horrendum stridens, flammisq; armata Chimæra.*

X.

Et quia res rationibus & exemplis optimè demonstrari possunt, ex iisdem conjunctis coeptum filum ducemus.

XI.

Ratiocinamur autem ita. Si datur causa, qua posita ponitur morbus, sublata tollitur, datur etiam causa continens. Probo: causa enim illa neque primitiva, neq; antecedens, neq; quævis proxima esse potest. Non primitiva, hæc enim varia est. Non antecedens, quia hæc non actu efficiendi, sed potentia definitur, neque ea posita ponitur morbus, sed fieri potest ut tollatur, antequam morbum efficiat. Nec proxima quævis. Dantur enim morbi in quibus proxima causa absente nihilominus manet effectus, v. g. gladio remoto vulnus in corpore remanet. Ergo continentem statuere causam omnino licitum erit.

XII.

Profero exemplum. In omni inflammatione ex majoribus vasis ad minora, ex his in vacua tandem membrorum spacia fluxio definit, ibiq; consistit, locum opplet, & sic membri functiones lædit, ut Galenus innumeris ferè locis testatur. Anne igitur aliquid hinc subesse putemus, quod causæ continentis nomen obtineat? Maximè herclè. Humor enim iste, qui locum illum occupavit, & à quo proximè sequitur affectus actiones lædens, nil aliud nisi continens causa dici potest. Ratio: Posito illo affectus ponitur, sublato aufertur.

XIII.

Idem patet in pleuritide. Humor enim vitiosus sub pleura

A 3

conten-

contentus, affectus illius continens causa merito dicitur, nec alio nomine insigniri potest. Expetis rationes? dabo. Humor talis aut erit morbus, aut symptoma, aut morbi causa. Morbum nemo sanæ mentis dicet. An enim humor proximè lædit actiones? minimè puto. Affectui id, quem humor excitavit, adscribendum: humor præterea est substantia, morbus in prædicamento qualitatis. Symptoma etiam nequit esse: hoc enim affectum suum sequitur ut umbra corpus; & causæ naturaliter antecedunt suum effectum, non sequuntur. Nihil igitur aliud esse potest, quàm morbi causa effectrix, & quidem conjuncta. Proximior enim alia dari nequit, illaq; sublata affectus cessat.

XIV.

Atque hæc etiam Galeni doctrina & sententia fuit. Id quod ex ipsius scriptis, contra causæ hujus osiores, qui sæpe
dant sine mente sonos, dant cassa & inania verba,
& contrarium inde eruere satagunt, jam pluribus demonstrabo. Cæteros etiam, Hippocratem, Celsum, sicubi opus, adducam.

XV.

Primò autem sequentem ex Galeno profero textum. *Sexto epid. aph. 20. com. 3.* sic ait: *Σκεψώμεθα ἔν ἅπαντα τὰ κατὰ μέρῳ, ἀναμιμνήσκοντες μὲν ὅσα δι' ἄλλων ὄπι πλέον ἐξεργάσμεθα, προστιθέντες δ' αὐτοῖς εἰ ἢ λείποι. τὸ μὲν ἔν ὄπισθα δὲ ἔκ τῆς πρώτης χρέσεως ἐκάστω τῶν θερραπευομένων φύσιν, εἶρηλαι καὶ δέδεικται πολλαῖς ὅπως ἂν τις κάλλιστα πράτῃ. δέδεικται δ' ἔδεν ἤτιον ἂ χεῖρ πρὸς τε τῶν πεπονηθῶτων τόπων, καὶ τῶν συμπαθῶντων αὐτοῖς, ὄπισθα δὲ καὶ διαγινώσκειν ἀκριβῶς ὄπι τῶν νοσούντων. ὡσαυτε γὰρ καὶ πρὸς τῶν αἰτίων ὅσα γὰρ προκαπέρχοντα καλέσῃ, καὶ ὅσα προηγέμενα, καὶ ὅσα σιωπητικά. Id est: Omnia contemplerur particulatim ea, que uberiorius aliis voluminibus pertractavimus: in memoriam revocantes, & ipsis si quid desit adjicientes. Ejus itaq; qui curatur, naturam à primo ortu scire deberi præcipimus, sapiusq; ut id optimè quis faciat ostendimus. Ostensum est autem non minùs, que de primariò affectis locis, & per consensum læsis, scire & exquisitè dignoscere in aegris oporteat: quemadmodum & de causis, quas anteincipientes vocant, & quas antegressas, & quas contentivas seu continentes. An-*

non

non hîc expressè tria caussarum morbificarum genera sta-
tuit?

XVI.

Neque est quod objiciat hîc aliquis, ipsum non de morbo-
rum, sed symptomatum caussis loquutum fuisse. Quam enim
in hoc commentario omnes scopos curationis, ab Hippocrate
in aphorismo traditos, collegerit: sequitur, ipsum non de sym-
ptomatum, sed morborum caussis verba facere. Quid? quod cu-
ratio soli morbo debetur, dicente ipso Galeno, 2. meth. med. cap.
3. & 4. meth. med. aliquot capp. & pluribus aliis locis.

XVII.

Subjungo nunc alia loca in quibus expressè Galenus men-
tionem facit causse continentis. In libro, qui *Medicus* inscribi-
tur, cap. 8. hæc habet: Συσκευτικὸν ἢ αἰτιὸν ἔστιν, ἢ παρόντων,
παράρρεσι ἢ τὸ νόσημα καὶ ἐξαιρημένον, λύεσθαι. Continentes, in-
quit, *caussa sunt, quæ quum adsunt, præsens est morbus: quum tol-
luntur, solvitur morbus.* En ipsam definitionem causse continen-
tis! Quæ iisdem verbis repetitur in definitionibus *Medicis*, additis
exemplis, quæ causse conjunctæ rationem obtinent, ut sunt
calculi in vesica, in oculo aquula, pterygium, encanthis, & id
genus alia.

XVIII.

Ulterius, lib. 1. de causs. pulsuum, cap. 1. sic ait: Τῶν τοῦς
σφυγμῶς τρεπόντων αἰτίων, τὰ μὲν τῆς γένεως αὐτῶν ἔστιν
αἴτια, τὰ δὲ, τῆς ἀλλοιώσεως μόνον. τῆς γένεως μὲν ἢτε χρεῖα
δι' ἣν γίνονται, καὶ ἡ δυνάμις ὑφ' ἧς, καὶ τὰ ὄργανα δι' ὧν δια-
τείνονται. τῆς δὲ ἀλλοιώσεως τὰ λοιπὰ πάντα, ταῦτε προηγέ-
μενα καλόμενα, καὶ τὰ τέτων ἐπὶ τὰ προκαταέρχονται. τρίτον
γὰρ δὴ τὸ γένος τῶν αἰτίων, ὅτι ἐν σφυγμοῖς μόνον, ἀλλὰ
καὶ τοῖς ἄλλοις ἀπασιν, ἐν μὲν τὸ πρῶτον τε καὶ κυριώτατον.
ὃ δὲ καὶ συσκευτικὸν καλεῖσθαι, διὰ τὸ σινέχειν αὐτῶν τὴν ἰστίαν
ὀνομασμένον, ὅπερ ὡς ἐμπροσθεν ἐρρήθη γένεως αἴτιον. Id est:
*Permutationis pulsuum causa partim generationis eorum sunt, par-
tim tantum alterationis. Generationis, tum usus cujus gratia sunt,
tum & facultas abs qua, tum instrumenta per qua distenduntur.
Alterationis cetera omnes, & quæ precedentes appellantur, & quæ
externæ.*

externæ. Nam tertium quidem est causarum genus, non in pulsibus
modò, sed & in aliis omnibus, unum quod primum est, & precipu-
um, quod quidem continens appellant: cuius inde appellatio dedu-
cta est, quod illorum essentiam contineat, quæ, ut modò diximus,
generationis est causa. Annon hinc cuius, si non Tiresia,
cœcior, aut Corcebo stolidior, liquidò patet, non solum in pulsi-
bus, sed & in omnibus aliis rebus generationis causas habenti-
bus, causas dari continentes & primas, quibus in effectu vel
proferendo, vel conservando, nihil propius, nihil coherentius
inveniri queat, Galenum statuere. Si ergo in omnibus rebus
aliis ferè tales admittuntur causæ, an morbis eadem denegan-
dæ? præsertim quum morbi etiam generantur, latius sumto vo-
cabulo generationis. Quo pacto & Galenus pulsum generari
scribit: quum ille non sit substantia per se, vel per se subsistens
ens, sed actio quædam & motus vitalis facultatis in nobis. Videt
ergo quilibet, quod Galenus eorum quæ generantur omnium,
h. e. quæ quodammodo fiunt, continentes causas adsignet.

XIX.

Et quanti hujus causæ indagationem & cognitionem fe-
cerit Galenus, si cognoscere allubescit, ipsius verba, loco modò al-
legato, percipe: δεχῆν, inquit, δὲ τῆς γυμνασίας δεῖσθαι, τὰς σω-
κλικὰς αἰτίας ἰπποκράτειος, καθὸ τι γινῶν ἐκάστη πᾶσι
σφύζον. Id est: Principium exercitationis optimum est, ut con-
tinentes causas, quamobrem generare quæq; pulsum possit, perpen-
das.

XX.

Sed audio hîc refragantem Leonhartum Fuchsum, qui
in *Instit. Med. lib. 3. sect. 1. cap. 2.* scribit, se quidem concedere,
Galenum in locis aliquot causæ continentis mentionem fecif-
se, negare tamen illi inter morbos locum esse dandum. Gale-
numq; non iis rebus quæ absolutè & simpliciter esse dicuntur,
adeoq; ex permanentium sunt numero, ut est morbus, sed illis
tantum, quæ in generatione ipsa suam essentiam habeant, causam
continentem adscripsisse, omni conatu demonstrare con-
tendit. In specie autem hæc Galeni verba de causa pulsuum
continente, non de causa morbifica, sed immutationis pulsuum
explicat.

XXI. Verum

XXI.

Verum respondemus. Licet concedamus, Galenum hoc loco de vitiata pulsuum motionis causa continente loqui: tamen non sequitur, quod in morbis non detur causa continens. Aliud certe, quam Fuchsius opinatur, Galeni verba volunt, dum ait, quod non in pulsibus solum, ἀλλὰ καὶ τῆς ἀλλοίως ἀπασιν, tertium causarum genus sit statuendum, quodq; ipsam primam præcipuumq; sit eorum, quæ aliquid producere apta sunt.

XXII.

Nec alicujus momenti est, quod causas antecedentes idem facere objicit. Etsi enim eæ non minimum ad cuiusq; rei productionem faciunt: tamen ejus quod fit, proximæ & adæquatæ causæ semper non sunt; productæ enim rei essentiam minimè continent, quod continentis causæ est proprium. Negas? ratio monstrat, experientia probat, Galenus, *loc. alleg.* confirmat.

XXIII.

Nec magis necet nobis telum Fuchsi, quod ejaculatur, dum ait, morbum esse rem permanentem, ergo causam continentem habere non posse. Toto enim cælo errat; & meritò quidquid convicii in Valleriolam effundit (cujus stupiditatem, quod causam continentem statuatur, se satis mirari non posse, *loco antea alleg.* scribit) in ipsum retorquetur. Si enim affirmanti incumbit, ut maximè incumbit, probatio, mehercle ad Kalendas Græcas probabit, dari solum morbos qui per se absq; causa fovente persistunt nullos vero qui ut suam subsistentiam habeant, causam ullam requirunt. Uno verbo: nunquam demonstrare poterit, quod non detur res permanens causam continentem requirens. Profero simile. In meridie dies est, & quidem idem est dies, qui erat Sole primum exorto. Non tamen fit de novo in meridie, sed tantummodo is, qui matutino tempore de novo factus est, usque ad vesperam idem unus dies à Sole conservatur, & quidem effectivè. An non igitur Sol causa continens diei? Idem judica de morbis.

XXIV.

Præterea sic distinguimus. *Duplex* (etiam ex Galeni sententia,)

B

tentia,)

tentia,) datur morborum species. Una, in qua causa omnino agere desit, manente tantum effectu; v. g. quum ab aestu Solis ephemera febris inducta est, aut à frigore constipatio, aut à gladio vulnus: altera, quæ causam effectricem secum perpetuò comitem habet, morbumq; ipsum aut adhuc gignentem, aut certè foventem. In priore specie continentem causam dari negamus; in posteriori affirmamus.

XXV.

Et quod magis ad nostræ opinionis confirmationem valet, ipse Galenus, à causa continente curandi indicationes in primis sumere jubet. Ita autem, 4. meth. med. c. 4. scribit: ἀρχεῖται μὲν γὰρ αἰεὶ καὶ τῆς ἐνδείξεως, ἀπὸ τῆς διαθέσεως ἢν θεραπείαν ὑπὸ χειρὸς μὲν. Ὁπισκέπτεται δὲ καὶ διορίζεται, ὅτερον ἢ ἤδη πέπαυται τὸ ποιεῖσθαι αἴτιον τῶν διάθεσιν, ἢ καὶ νῦν ἐπισημαίνεται τὸ καὶ ποιεῖ. Id est: *Auspicari perpetuò oportet curationem ab indicatione, quæ ab effectu, cui mederi paramus, accipitur: estimare verò ac discernere, an causa, quæ affectum excitavit, jam desierit; an nunc quoque ipsum tum augeat, tum faciat.* Sed quorsum hæc? In id certè, ut causa absente, id tantum quod factum est curare studeamus, de causa nihil solliciti: causa verò jam præsentem & adhuc agentem (ut est causa continens) ut eam auferamus operam demus.

XXVI.

Idem, lib. de sectis, adversus methodicos disputans, inquit: Ὁμοίως δὲ ὁ λόγος τοῖς μεθοδικοῖς καὶ περὶ τῶν ἀδήλων καὶ συσκευτικῶν ὀνομαζομένων αἰτίων. καὶ γὰρ ἐκείνα περὶ τὰ φάσιν εἶναι. Id est: *Simili ratione iidem methodici de obscuris causis & continentibus vocatis loquuntur: eas namq; supervacaneas esse dicunt.* Annon hîc eos arguit, quod continentem causam, à qua tamen curatio incipienda, supervacaneam esse putabant. Quâ neglecta affectus curari non potest, affirmante eodem Galeno, in art. med. & 7. meth. med.

XXVII.

Facit & causæ continentis mentionem Galenus, 5. aph. com. I. ubi historiam enarrat adolescentis, qui æruginosi humoris in ore ventriculi contenti occasione, tum febrim, tum convulsio-

vulsio

vulsionem passus est, quo evacuato ille sanitati restitutus fuit.
Audi ejus verba: καὶ ὅτε πύρετος αὐτῷ, καὶ ὁ πᾶσιμος ἐπαύ-
σατο τὸ τριχρῆμα κενόθεν τῶν τριχρῆμα. Et febris, inquit, & con-
vulsio vacuata erugine statim cessavit. Monstra aliam causam
de qua hic loquitur, & eris mihi magnus Apollo.

XXIX.

Sed si non sufficiant enumerati textus, en adhuc unum. 1. de
loc. affect. cap. 2. inquit Galenus: Οὐ γὰρ τοῖς ψάλλοντι μὲν ἡ-
μῶν γίνεται τὸ δε, πὲρ τὸ πᾶσιμον, ἀποχωρήσαντι δὲ τῷ τριχρῆ-
μα παύεται, τῶν αἰτιῶν εἶναι πεπιστευκᾶσι πάντες ἄνθρωποι.
Id est: Id quo tangente gignitur in nobis passio, & separato statim
quiescit, id causam esse omnes homines arbitrantur. Lege, relegere
hunc locum, de nulla alia quàm causa continente verba facere
Galenum affirmare poteris. Non enim de præincipiente &
externa causa, aut interna, quæ modò conjuncta non sit, hoc
dici potest. His enim causis sublatis neutiquam cessat effectus.
Non enim si à Solis ardore orta sit febris, Sole agere desi-
nente eadem statim cessat.

XXIX.

Si quis verò rationem petat, cur Galenus continentis causæ
mentionem faciens, sæpius hæc verba, ὡς ἂν εἴπη τις, ut
quispiam dixerit, adjungat; hoc responsum habeat. Galeno mens
erat, falsissimam illam Stoicorum opinionem, qui per causam
continentem, nescio quod vinculum, quod formam & mate-
riam conjungeret, intellegebant, prorsus evertere. Quo igi-
tur ineptas rudesq; illorum chimæras evitaret, continentis causæ
nomen ommittere satius erat.

XXX.

Deinde & ideo hæc verba adjecit, quia alii non συνεκτι-
κὸν αἴτιον, continentem seu contentivam causam, sed συνεχόν, con-
tinuam: alii προσεχῆς, adherentem, adjunctamvé seu conjun-
ctam eam nominabant. Sic 2. prognost. 43. in comment. addidit,
ὅπερ καὶ προσεχῆς ὀνομάζουσι, quam causam etiam adheren-
tem nominant: & 2. meth. med. cap. 4. ἢν δὴ καὶ προσεχῆ καλεῖν
εἰώθασι, quam adherentem etiam conjunctamvé nominare sunt
soliti.

XXXI.

Ex quibus luce meridiana clariùs apparet, varium fuisse id genus causæ nominandi modum, & ideo admiratione opus nõ esse, quod verba antea relata addiderit. Vis causam? Ne de nominibus altercando tempus inutiliter tereret.

XXXII.

Sed misso Galeno, ex cuius scriptis, causam continentem dari, satis demonstratum esse puto, alios testes proferam. Quos brevibus audiemus.

XXXIII.

Primò autem in scenam produco venerandum Medicorum parentem Hippocratem, qui 2. apb. 22. hanc legem sancit: *ἄπο πλησμονῆς ὀκίσα ἀν νοσήματα γρηγορη κένωσις ἴηται. καὶ ὀκίσα ὑπο κένωσις, ἀπὸ πλησμονῆς καὶ τῶν ἄλλων ἢ ὑπεραντίωσις.* Qui à plenitudine morbi sunt, vacatione curantur: & qui ab inanitione proficiscuntur, sanantur plenitudine. Caterorumq; contraria sunt remedia. An verò curaret evacuatio, ni repletio causa conjuncta esset?

XXXIV.

In medium etiam profero Cornelium re & nomine Celsum, sic loquentem, in proœm. lib. 1. Igitur hi qui rationalem Medicinam profitentur, hæc necessaria esse proponunt, abditarum & morbos continentium causarum notitiam, deinde evidentium, post hæc etiam naturalium actionum, novissimè partium interiorum.

XXXV.

Sed quid opus est ulteriori demonstratione, ubi res ipsa loquitur? Nos pugna pro causæ continentis veritate haud infeliciter, ut speramus, peracta, ad eam definiendam, & ubinam offendantur inquirendam, progressum facimus.

XXXVI.

Definitionem hanc damus. *Causa continens est causa efficiens, quæ in corpore morbo proximè adhæret, & quæ posita morbus ponitur, ablata tollitur.*

XXXVII.

Definitionem dedimus. Restat, ut dicamus, ubi reperiatur. Non enim ubiq; errat, sed certis in locis moratur.

XXXIIX. Quia

XXXIX.

Quia autem tria dantur morborum genera, *partium similari-
um, organici, & soluta unitatis*: in priorum duorum generum
morbis causam continentem dari, certò nobis persuademus, &
seqq. rationibus atq; exemplis probamus.

XXXIX.

Tertiana febris, sive sit exquisita sive notha, quin sit morbus,
nemo, opinor, inficias ibit, attestantibus Galeno, 1. *ad Glauc.*
cap. 4. Avicenna, *sen. 1. quarti, cap. proprio, de tertiana*, Paulo, *lib. 2.*
In hac dari continentem causam demonstramus hoc modo.
Humor febris tertianæ causa, ut primùm computruit, mox fu-
liginibus & vaporibus putridis ad cor emissis accessionem febrili-
lem parit: eo autem soluto, mox & ipsa accessio solvitur; quæ tùm
perfectò (etiam ex Galeni sententia, 2. *de diff. febr. cap. 3. & 2. de*
crisib. c. 3. & 9. meth. med. c. 4. & 5.) desinit, quum materia illa e-
ducta fuerit. An igitur putridum hunc humorem accessionis
febrilis effectricem continentem causam esse negari potest?
Perfectò minimè. Quid quod & in reliquis febribus, humori-
bus qui eas fovent evacuatis, & ipsæ cessant, ut cuivis experiri li-
cet. E. g. in quotidiana, quartana, quandiu humoris, qui febris
causa effectrix, putridum manet, tamdiu accessio perstat, illo
verò desinente solvitur.

XL.

Idem spectare licet in febribus continuis, quarum una tan-
tùm est accessio ab initio usque ad finem. Talium enim febrium
humor intra vasa reconditus ac putrescens, continuo vapores
putridos ad cor emittit, unde & febris tamdiu durat, quamdiu
illæ putridæ fuligines. Quod & Galenus ipse, 9. *meth. med. & 2. de*
crisibus, affirmat.

XLI.

In secundo genere morborum, morbis nimirum instrumen-
torum, causam continentem quoq; inveniri, hisce probo. Ob-
structio est morbus, partium nimirum, quæ patere debebant, oc-
clusio. Hanc vel à multis, vel crassis, vel deniq; lentis succis fieri
vult Galenus, cum 9. 10. & 11. *meth. med. tùm in arte med.* Erunt
igitur ii succi aut copia redundantes, aut qualitate crassi & lenti,

B 3

obstru-

obstructionis causæ: Quo enim tangente afficimur, id omnino causam esse, aperte dicit Galenus, 1. *de loc. affect. cap. 2.* Idcirco quum succis istis, vasa viscusq; aliquod implentibus, confestim nascatur obstructio, necessario eos obstructionis causas statuemus: & quidem continentis; iis enim positis obstructio ponitur, at rite attenuatis, & eductis, (qua methodo curare obstructions, Galenus, 10. & 11. *meth. med.* & *in art. med.* præcipit) sublatam cernes obstructionem.

XLII.

Nec hilum facit, quod humores illos parti impactos obstructionis nomine dignatur Fuchsius, *in comm. ad lib. 1. de causis morb. Galeni*, adeoq; ipsum humorem morbum censeat, non causam. Proferemus ipsi contrariam Galenum, *de diff. morb. cap. 7.* sic scribentem: ὅταν αὐτὴ μὲν ἢ διάθεσις ἐνέργεια βλάβη πρῶτως, τὸ δὲ αἴτιον αὐτῆς μὴ βλάβη: τὴν μὲν διάθεσιν νόσημα, τὸ δὲ ἐργαζόμενον αὐτῷ αἴτιον ὀνομάζειν χρὴ νόσημα. ὅπερ ἴππε τῶν κλιχρῶν ἔχει χυμῶν, ἢ τῆς ἐμφράξεως. αὐτὴ μὲν γὰρ ἢ ἐμφράξις τὸ νόσημα ἔστιν. οἱ χυμοὶ δὲ αἴτιον τῶν νόσημα. Id est: quum ipsa dispositio operationem primò impediverit; ejusdem autem dispositionis causa non primò ledit actionem: dispositione quidē morbum, quod autē ipsum fovet, causam morbi appellare oportet: quemadmodum res sese habet in lentis humoribus, & obstructione; ipsa quidem obstructio morbus est, humores verò sunt causa morbi. En disertissima verba Galeni!

XLIII.

Aliud certè obstructio, aliud obstruens humor est. Obstructio enim affectæ partis dispositio quædam est, & obductio, qua partis meatus, qui naturaliter patere debebant, constipati sunt & oppleti: humor verò obstruens est, cujus causa talis in parte genita est oppilatio, & huic nomen continentis causæ rectè tribuitur.

XLIV.

Et quod magis mirandum, nescio quibus rationibus motus Fuchsius fuit, ut causam pro ipso morbo habuerit. Obstructionem enim morbum esse, & Galeni & totius Medicorum turbæ est sententia. Morbum verò viventis corporis, non humorum, esse affectum, nemo ambigit. Qualis ergo desipientia, statuere, humores parti impactos & obstructionem efficientes esse morbum, esse ipsam obstructionem?

XLV. Si

XLV.

Si placet, rem simili, cum Valleriola, *enarrat. med. lib. 6. enarrat. 1.* declarabo. Sit saccus, qui impleatur ingenti pecunię summa: nonne tu aliud implentem pecuniam, aliud sacci distentionem oppletionemq; esse dices? Distentio enim & oppletio ad saccū non ad pecuniam propriè pertinet, (siquidem distendi & impleri pecunia nequit: distendere ipsa & implere sanè potest) pecunia verò ingesta oppilationem certè talem ipsa efficit.

XLVI.

Manet ergo firmum, differre rem obstruentem, & ipsam obstructionem. Differunt nimirum tanquā efficiens & effectū: obstructionē enim efficit humor, humoris verò effectū est ipsa obstructio.

XLVII.

Adsertioni nostræ de causa continente in morbis intemperiei contrariatur Jo. Philippus Ingrassias, *de tumoribus præter naturam, tom. 1. p. 45.* qui tantum in secundi generis morbis, nimirum organicis, causam continentē agnoscit. Verum errat; dum morbos intemperiei non rectè distinguit, & pro passione habet; quod ipse est morbus. Videantur ejus verba plurima, loco allegato.

XLIX.

Deinde etiam alucinatur, dum in morbo fiente causam cōtinentē dari negat, illumq; nō morbū sed πᾶθῶν esse affirmat. Ita autem ratiocinatur: *Triples quum sit (Galeni quoq; sententia, 3. art. med. text. 32. 2. aph. 22. 8. meth. med. c. ult. & alibi) morbus, aut scilicet factus, aut fiens, vel demū futurus fieri: Facti causam ponere quū absolutū jam sit, dementis esset; futuri autē si causam adsignare cōtenderis, præcedentē hanc esse, haudquaquā verò conjunctam, ni jotario stolidior, ipsorū quoq; barbarorū monumentū admittes. Sin fiens adhuc morbus sit, duplex ipsius fientis pars est, facta videlicet, ac futura fieri: facta, ut diximus, causa non amplius est, futura autem præcedens. Nil ergo remanet, cujus conjunctam aliquam causam dare queamus. Quod si fiens non in partes dissolvere libuerit, at ipsum fiens, quatenus fiens est, considerare mavis, id utiq; morbus non est, sed πᾶθῶν. Cujus conjunctam dari causam, nullus est qui abneget, præsens autem sermo, ipsius morbi, nequaquam verò passionis aut symptomatum causas vestigat. Qui profectò morbus permanens est, non factus modò affectus, primò ac per se ladens functiones.*

Et

Et paulò post sic concludit: *Ad id ergo, unde digressi sumus, iterum
conversi, nullam esse morbi in intemperie positi conjunctam conti-
nentemve causam, firmiter determinabimus.*

XLIX.

Verùm nos ad Ingrassiæ objectiones respondentes, *triplici-
ter* fientes morbos distinguimus. Vel enim fieri morbi dicuntur,
quum nondum sunt, sed producuntur & generantur, sicut dum
pars aliqua à causa præternaturali alteratur, qualitas tamen illa
præternaturalis nondum eum terminum attingit, ut lædat actio-
nes. Vel morbi fieri dicuntur, qui augentur adhuc, vehementio-
resq; redduntur, quamvis sublata causa non auferantur: non
enim causa eos in corpore servat, sed augentur solùm. Vel deni-
que fientes dicuntur, qui etsi jam existunt, & affectus sunt, qui-
bus actiones læduntur: tamen sine causa effectrice & foyente
in corpore subsistere nequeunt, & *νατὰ χέου* inhærent, atque
adeo cum suis causis recedunt. Quamvis enim hi simpliciter
& absolutè non fiant: tamen ea de causa fieri dicuntur, quia à
causa effectrice ita dependent, ut citra ejus præsentiam in cor-
pore durare non possint. Et de his ultimò enumeratis fien-
tibus morbis rectissimè dicitur, quod habeant causam conti-
nentem.

L.

Præterea errare Ingrassiam apertissimè apparet, dum fi-
entem morbum nomine morbi indignum, & tantùm *πῶς*
seu passionem esse dicit, hujusq; causam continentem esse, non
morbi, affirmat. An enim id quod actiones plurimùm & sensi-
biliter lædit, non est morbus? Imò ipse sibi contradicit, dum in
aliquibus morbis causam conjunctam constituit, in fientibus ve-
rò morbis negat. In quibus enim aliis, quæso, datur ea, quàm in
fientibus?

LI.

Nec laudem meretur, dum desipere illos putat, qui putre-
dinem febris causam continentem, exquisitè loquendo, esse
ajunt, & Avicennam ac Galenum, hinc causam continentem
agnoscentes, largè & Medicè loquutos esse statuit. Quasi verò
veritas duplex esset, Philosophica & Medica! Ita verò, pag. 70.
inquit

inquit: Quumq; putredinem ipsam immediatam febris causam
posuerimus, etiamsi humores omnes educti sint, remanentibus tamen
vaporibus, putridisq; fuliginibus, non eductam esse causam, at re-
mansisse (quum putredo adhuc perduret) proferendum esse patet.
Haudquaquam ergo (ut Valeriola vult) intellegendum est, quod
remotis humoribus putridis, ablatam fuisse causam voluerit, (Ga-
lenus puta) remanente nihilominus putrida fuligine: ratione cu-
jus ad febre[m] deveniendum fore, demta causa, precepit. Etenim per-
sistente adhuc fuligine, vaporibusq; putridis, causam adhuc persi-
stere, minime vero ablatam esse, opinandum est. Et non multo
post ait, etiamsi putredo in totum auferatur, nihilominus tamen
remanere intemperiem calidam, quæ functiones impediat. Ergo
putredinem conjunctam esse causam non posse. Deniq; con-
tra Valeriolam concludens, inquit, alterationem causam, dum fiat,
non morbi esse, sed passionis.

LII.

Verum respondemus. Nos non simpliciter, sed cum distin-
ctione, putredinem febris causam continentem esse statuimus.
Putredo enim potest esse causa antecedens, & causa continens,
diverso modo & tempore diverso. Putredo nimirum illa genita
in humoribus, quando vaporis forma ad cor adscendit, ibique
persistit, & febre[m] putridam excitat, causa continens febris pu-
tridæ est. Quando vero adhuc est in humoribus, qui necdum ge-
neraverunt febre[m] putridam, sed prius ipsam generant, est caus-
sa antecedens; & de hac intellegendus Galenus, II. meth. med. c. 9.
ubi sic scribit: *Putredo humorum, quæ exceptit transpirationis reten-
tionem, ipsa est antecedens causa febris.* Potest ergo auferri pu-
tredo, quæ est causa antecedens, & remanere putrida febris, sed
ad minimum tempus, putrido vero ablato, simul febris putrida
statim solvitur. In nihilum ergo abit opinio Ingrassiæ. Sublata
enim putredine profecto febris cessat.

LIII.

Quod si rationibus autoritatem etiam adjungi cupis, eni-
adduco Galenum, 2. de diff. febr. cap. ult. in hunc sensum loquen-
tem: *Quemadmodum flamma dum ligna habet, quibus foveatur,
permanet, deficientibus autem lignis exstinguitur. ita febris quam-*
diu

Si putridi humores in corpore ardent, ipsa quoque perseverat, ubi dissipati & evacuati sunt humores illi actu putrescentes, statim febris solvitur & evanescit.

LIV.

Eandem nostram sententiam probant plura exempla. Nonne enim calculo vesicæ quocunque modo remoto, obstructio urinæ cessat? Nonne flatu vel humore lento intestinorum tunicis impacto, colicam passionem efficiente, dissipato, & evacuato, quamprimum cessat colica passio? Pluribus exemplis in præsentia probare, chartæ angustia prohibet.

LV.

Confirmat denique ea, quæ diximus, ipsa medendi methodus. In febre putrida, quod plane computruit ac prorsus corruptum est, indicat sui plenariam evacuationem. Illo igitur è corpore evacuato, febris cessat. Sic in pleuritide, sanguis sub pleura congestus, sui discussionem & maturationem per suppurationes: in apoplexia humor cerebrum obstruens, sui evacuationem: lapis in vesica contentus sui ablationem indicat. Et hæc omnia continentis causæ rationem habent.

LVI.

Sin verò objiciat hîc aliquis, has quas diximus causas antecedentis nomen mereri, hoc sibi responsum habeat, quod in talibus febribus putridis, (uti etiam thesi 52. diximus) antecedentis nomen obtineat id, quod reliquum est in humoribus, & nondum computruit, sed ad putredinem concipiendam habile & idoneum est, quod etiam partim, propter copiam vel fervoris putredinalis augmentum & progressum, evacuamus, partim, quod conducibilius est, per medicamenta alterantia concoquimus & digerimus. Et hac de causa Medici Sirupos digestivos febricitantibus propinant, convenientem diætam præcipiunt, & cætera facere jubent, quæ habiles illos ad putredinem concipiendam humores temperare, & ad naturalem *suppressionem* reducere possunt. Sic etiam, quæ antecedentis causæ rationem habet in pleuritide, sanguinis abundantia, venæsectione tollitur: in apoplexia humorum pituitosorum generatio, convenienti diætâ præca-

præcavetur: calculi augmentum in vesica aut renibus, incidentibus prohibetur.

LVII.

Ultimò, de usu, quem adfert causæ continentis cognitio, hæc addimus. In morbis quæ causam continentem habent, planè alia methodo curatio est instituenda, & propterea operosa & difficilis est. *Ἰεραπεία* enim cum *περὸ φουλάξαι* conjungitur & miscetur. Aliud igitur omnino *περὸ φουλάξαι*, aliud *Ἰεραπείας* gratia est faciendum, propter affectus scilicet cum suis causis complicationem: quorum unumquodque suam propriam & peculiarem nobis præscribit indicationem.

LIIIX.

Sed manum de tabula. Præcedentibus hisce, causam continentem omnino in quibusdam morbis dari, sufficienter demonstratum esse opinor. Scio quidem judiciorum varietatem. In eodem prato bos quærit gramen, canis leporem, ciconia ranam, fûs pro suaveolente amaraco lutum amat, & quod ex homine adversus humanos morsus valere Crato prodidit. Tuum tamen erit, benivole Lector, hæc omnia in meliorem partem interpretari. Si quid verò novisti rectius, candidus imperti: si non,

HÆC RODERE NOLI.

*Omnia
ad Dei opt. max. gloriam,
proximi salutem.*

MARGGRAVIO Phœbus genitum formavit; at Hermes
Externis Doctorum addit amicitias:

*Pro se quisq; trahit. duo certant numina in uno,
Discere seu valeat sive docere velit.*

**Fridericus Goebelius Galeota,
Noricus, Med. Stud.**


HAC RODRIGUE NOLI

Omnia
ad Dei gloriam gloriam
placuisse salutem

05 A 1570


ULB Halle
003 779 483

3



V17





TRIN-UNO DUCE,
Præside
Amplissimo, Clarissimo, & Excellentissimo Virò,
DN. D. DANIELE SENNERTO,
Phil. & Medico celeberrimo, Fac. Med. P. P. Seniore, p. t. Deca-
no, & Ser. Elect. Sax. Archiatro, Dn. Præceptore & Patro-
no meo optumo maxumo,
THESES HASCE
De
Causa continente
morborum,
Candidis Philiatris ingenii lance
trutinandas,
IN ACADEMIÆ WITTENBERGENSIS
theatro Apollinis publico,
Præsento
GEORGIUS Marggrafe /
LIEBSTADIO-MISNICUS,
Idibus Marti,
A. C. ∞ 15 CXXXIV.
Typis heredum GEORGII MULLERI.